

De altera Eucharistiæ materia.

47

sed hoc sufficit ad validam Eucharistiæ consecrationem : ergo &c. Major est doctrina Concilii Tridentini sedl. 13. cap. 3. docentis : *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostrí Corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie... existere.*

IV. probatur, quod hæc mixtio non sit de præcepto divino ; tum quia nec in Scripturis, nec in Patribus hoc præceptum a Christo datum legitur ; tum etiam, quia legitur tantum tanquam ab Ecclesiæ impositione ; unde Tridentinum, ut supra retulimus, habet : *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant.*

Objiciunt I. Nullæ rationes adducuntur, quæ efficaciter probent necessitatem aquæ in sacrificio : ergo aqua non est necessaria. II. Non habemus exemplum Christi, quod in Eucharistiæ institutione aquam cum vino miscuerit : ergo non est de fide tenendum, quod aqua sit necessaria ad Sacrificii perfectionem. III. Non est de fide, quod sit præceptum ecclesiasticum, ut aqua vino misceatur : ergo mixtio hæc nec etiam est de necessitate præcepti ecclesiastici. IV. Isaïæ I. prohibetur aqua mixtio cum vino ; dicitur enim vers. 22. *Vinum tuum mixtum est aqua;* quod damnatur. V. Chrysostomus hom. 83. in Matth. docet : *Christus Dominus, non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit, ut radicitus evellet perniciosum quandam heresim eorum, qui aqua in mysteriis utuntur.* VI. Cyprianus in Epist. ad Cæcilium docet eodem modo esse necessariam aquam, quo necessarium est vinum ; sed vinum est necessarium necessitate Sacramenti : ergo pariter aqua. Probatur major ex verbis ejusdem, docentis : *Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non posset, quomodo nec vinum solum potest.* VII. Idem Cyprianus docet, ita esse necessariam commixtionem aquæ cum vino, quomodo est necessaria commixtio aquæ cum farina, ut fiat panis ; hec sunt ejus verba : *Sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & conalatum,*

& panis unus compage solidatum. VIII. Idem Cyprianus 1. docuit Christum miscuisse aquam cum vino ; 2. Calicem non esse solam aquam, aut vinum solum ; 3. Comparat Calicem cum vino & aqua pani ex multis granis confecto. Qua omnia denotant, mixtionem hanc esse necessariam de necessitate Sacramenti. IX. Bernardus Epistol. 69. liberum, asserit, esse, aquam cum vino miscere, vel non miscere, his verbis : *Ajunt, nescio quem alium aliad sensisse Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est pane, vino, & aqua, hoc sacrificium esse; ita ut si quodlibet horum deesse contigerit, reliqua non sanctificentur.* Sed de bujusmodi unusquisque in in suo sensu abundet. X. Multa Concilia docent, aquæ mixtionem esse necessariam ex præcepto divino ; & probatur. Concilium enim Carthagin. III. cap. 24. ait, *id offerendum, quod Dominus tradidit.* Concilium Aurelianense IV. can. 4. ait : *Vinum esse offerendam aqua mixtum, quia Sacrilegum judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Concil. Trull. ait, hunc ordinem esse ab Apostolis traditum. Hic igitur maxime locum habet effatum S. Augustini lib. 2. de Baptismo cap. 7. & lib. 4. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec in Concilio institutum, sed semper retentum est; non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Apostoli autem, ut loquitur Tertullianus, a Christo acceperunt, sicut Christus a Deo.

Reponendum ad I. negando antecedens ; & negationis hujusque rationes affruntur plures ; quarum prima est, quia est traditio apostolica, quod Christus sic fecerit ; secunda, quia exprimitur sanguis, & aqua, quæ ex Christi latere effluxerunt ; tertia, quia exprimitur unio populi fidelis cum Christo capite ; ut docet Concilium Tridentinum sedl. 22. cap. 7. Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit ; quod Sacramentum bac mixtione recolitur : & cum aquæ in Apocalypsi Joannis populi dicantur ; ipsius populi fidelis cum